3
12

DIVINI AMORIS VLTIO

SEV DE 34-7-B-19.

S. SPIRITVS ADVENTV,

ORATIO

HABITA

In Sacello Pontificio:

AD SANCTISSIMVM D. N.

INNOCENTIVM XI.

PONT. MAX.

A IOANNE BAPTISTA IOVIO
Sem. Rom. Conuict.

Romæ; Typis Ignatij de Lazaris: 1683.
Superiorum Permiſſu.

13

INNOCENTIO XI.

PONT. MAX.

IOANNES BAPTISTA IOVIVS FELICITATEM.

DIuini amoris vltio tenui nuper oratione adumbrata tuis pedibus ſiſtitur B. P. qui morum ſanctimonia, & amplitudine poteſtatis magnificentius

eam mortalibus repræſentas. Vix primis Eccleſiæ Patribus inuidemus vindicis amoris benignitatem, cum te amantiſſimi Numinis Vicarium nobis noſtra felicitas ſubſtituerit. Imitatus cæleſtis Spiritus ſeueritatem ſimul, & charitatem munia diuinitatis exerces cum armas in ſontes amorem. Cauent ſibi a luce nocturnæ aues, nil magis formidantes, quam ne cogantur non eſſe miſeræ: cauerent a tuis virtutibus vitia, niſi ille in ſummo Maieſtatis vertice longè, latèque emicantes ſanctitatem. vel inuitis impertirentur. Tentaſſet generoſa animi demiſſio virtutibus tuis radios obtundere, ne tanti luminis acceſſione dignitatem, quam maximam habes, immenſam faceres. Sed vindex ſcelerum amor illos acuit in ful-

mina, quibus beneficè ſæuis. Non igitur ſollicita ad te accurrit exilis hæc oratiuncula, neque enim dedignaberis tenuitatem obſequij, quod magnum tui nominis maieſtate facies. Et ſi iterùm obtrudere oculis, quod nuper benignis auribus excepiſti, audacia eſt ſuo digna ſupplicio, in te amorem vindicem nanciſcetur quo puniatur ſimul, & abſoluatur, experieturque te vltorem in ſua verecundia, amantem in tuo patrocinio.

Imprimatur,

Si videbitur Reuerendiſſ. Patri Sac. Pal. Apoſt. Magiſt.

Io. de Ang. Arch. Vrb. Viceſg.

Imprimatur:

Fr. Dominicus Maria Puteobonellus Sac. Apoſt. Pal. Magiſt.

ORATIO.

AEquum fuerat vt homines poſt conceſſum vitijs imperium, poſt exactam per ſummum facinus à terris Diuinitatem non beneficum Numen è Cælo, ſed ſuorum criminum acerbiſſimum vindicem opperirentur B. P. Et ſanè repentina hæc flamma-

marum eluuio, autæque minitantis toni-
trua Diuinam vindictam mortalibus in-
dixere; ſed vt in reorum felicitatem ſe-
ueritas Vltoris euadat, vltor delabitur
amor. neſcit ille ſæuitiem, niſi benefi-
cam, quæque inſtrumenta vſurpat ad
pœnam vertit in beneficia. Præſtat ni-
mirum reum eſſe ante Tribunal Amoris,
qui, quod difficillimum eſt, didicit odiſ-
ſe ſalubriter; ipſosque indignationis ar-
dores facibus charitatis accendit; com-
ponens nempe Iudicem, & Amantem
nocentibus patrocinatur quos punit. No-
uo igitur apparatu inſolitus noxarum
animaduerſor amor deſcendit. Flammas
in vltionis adminiſtras elegit, ſed cæle-
ſtes. Crudeliores in vitia illæ ſunt ipſis
Inferis: nam inter æſtus gehennæ ſcelera,
licet exagitata ſuperſunt, inter Diuina in-
cendia, ne momentum quidem, viuere
poſſunt.

Iamque ſupra ſingulos Eccleſiæ Princi-
pes, vt futura cæteris amabilis vindictæ
exemplaria reſidet amor, mutuiſque flam-

mis

mis iram auget, & dilectionem. Inter maxima ſontium ſupplicia nullum fortaſſe maius eſt, quam imperata innocentia. Torquet illa dum adeſt, quia queritur ſe ab fuiſſe; & quot ſtimulos affert ad gratulandam præſentem felicitatem, tot ſunt ad dolendam præteritam iacturam incitamenta: & meritò quidem, vt qui felices ſe exiſtimabant cum eſſent miſeri miſeros fuiſſe ſe exiſtiment cum ſunt felices. Ideo in animaduerſionem vitiorum virtutes aduocans amor in linguas ipſe conuertitur. Emulatus æterni Patris corporatam ſapientiam, quæ crimina verbis puniuit, ipſe eadem caſtigat, ſed linguis; perfidas igitur hominum linguas vlturus mendaciorum inſtrumenta cogit ad veritatem. Hæc licet neceſſitas ampliſſimum præmium videri poſſit, ſupplicium eſt cum mancipatis impietati linguis infertur; illud tamen ſupplicium, quod dare ignorat niſi Amor. Nec benefica numinis vltio in ſolas Apoſtolorum linguas amabiliter ſæuijt. Omnium

Po-

Populorum linguæ ſceleri longè deterius militabant. Omnes igitur vindicem amorem expertæ prædicare magnalia Dei didicerunt, quæ prius nil loquebantur, niſi quæ inania ſunt hominum; vltroque ſibi irrogantes ſupplicium ſeſe hactenus obnoxias ſceleribus horruerunt. Parcite veſtrarum linguarum portenta admirari exteræ nationes, ſuas fecit Diuinus Amor, cum ſubduxit à vitijs, ſuauique vindicta ſe ipſum, à quo abhorrebant, exhibuit in pœnam.

Longè tamen ſplendidior, nobisque felicior extitit vltio, quam in humanos animos intulit Diuinus Spiritus. Poſt reſonantis aeris fragorem mutæ videri poterant cæleſtes linguæ, niſi locutæ fuiſſent in corde. Enim verò amoris eloquia cordibus melius, quàm auribus percipiuntur; erubeſcunt illa prodire per linguas, quas falſæ ſæpius beneuolentiæ oſtentatio vſurpauit. In humanis igitur cordibus eloquentior amor ignitas linguas ad vltionem ſcelerum armat. Na-

ctus

ctus ibi regnantia vitiorum monſtra, ſubactaſque affectiones illa euertit, has beauit afferens ijſdem flammis criminibus fulmen, ſontibus charitatem. Quanquam nec ipſi mortalium animi fuere vltionis expertes; dum periciſſimus amandi Præceptor cæleſtis Spiritus vitiorum amore humanis animis interdicens vindicis ſeueritatem exercet, dum conſulit felicitati, quodque portenti loco haberi debet, odij pretium fit amor.

Attamen anguſta nimis vindici amori animorum penetralia fuere. In vltionis participationem tormenta Tyrannorum adſciuit, quæ conſecraret in munera. A præruptis virtutum ſemitis receſſerant plerique mortalium, quia fœcundas cruciatuum opinabantur crimina ſtolide ſectantes, vt criminum ſupplicia euitarent. Sceleſtas igitur voluptates vlturus Diuinus Amor formidatas voluptatum pœnas amare cogit, & inſtruens naſcenti Eccleſiæ militaturam martyrum aciem homines ſupplicijs ſubdit cum effecerit ne me-

re-

rerentur ſupplicia. Expedi Tyrannis ſecures tuas, adornate gladios Carnifices. Vindex noxarum amor ad vos legat puniendos reos, ſed qui ex veſtris criminibus candidiorem referent innocentiam. Imò ipſis in gaudia tranſeunt tormenta, quia amor imperat, quæque animis abhorrentibus pararentur vt pœnæ, amantibus euadunt in præmia. Gratulari igitur nobis libet benigniſſimam ſimul, & efficaciſſimam Diuini Amoris vltionem, qui deteſtanda ſcelera exterminans, ſceleſtos in optandas pœnas immittens inſigni ſeueritatis pietatisque comento ad reorum vindictam ipſam adhibet reorum felicitatem.

BIBLIOTECA NAZ. VITTORIO EMANUELE ROMA